



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Medvlla Theologiæ Moralis**

**Busenbaum, Hermann**

**Monasterii Westphaliæ**

Dub. III. An & quomodo fama restituenda?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40957**

eruciatibus vitam suam tueri : nec talis dicetur se interficere, sed tantum ex justa causa vitam morti exponere, *Less. & Fill. v. infra l. 4. cap. 3. d. 7.*

DUBIUM III.

*An, & quomodo Fama restituenda?*

Resp. Nisi sit causa excusans, patet ex natura justitiæ, & ex dictis *de restit.* famam iniuste ablatam restitui debere. Et quidem, si verum crimen quis narravit, debet opinionem conceptam, quantum potest, apud audientes abolere, dicendo v.g. se male dixisse, iniuriam intulisse, deceptum esse, &c. Vel si hac ratione parum proficiatur eum laudando in aliis rebus, crimen extenuando, honorem eius in re alia procurando, &c. sic enim sensim tantundem fama eius illustrabitur ex una parte, quantum ex altera obscurata fuit. Quòd si autem crimen falsum inpegisti, teneris id aperte retractare (adhibito etiam, si opus est, iuramento) apud eos, quibus dixisti, & (per se loquendo) ad quos infamia pervenit, sive apud auditores mediatos: ut contra *Less. & Tamm. 2. 2. d. 4. q. 6. d. 6. n. 146.* docet *C. Lugo*, quia totum damnum famæ, cuius causa es, teneris reparare.

Licet aliquando sufficiat dicere, te penitus deceptum, rem aliter se habere, male te informatum fuisse, v. *Laym. l. 3. t. 3. p. 2. c. 7. Less. c. 11. d. 30.*

Dixi, *per se*: plerumque enim per accidens ab hac obligatione talis excusatur, respectu auditorum, mediatorum: tum ob moralem impotentiam, tum quia eo ipso, quod apud immediatos retra-

Q4 Etavit,

stavit, implicite illis commisit, ut hanc retractio-  
nem ipsi indicent aliis, si quibus forte revelave-  
rint. Idque confirmat praxis Confessariorum,  
qui tantum obligant, ut retractent apud eos,  
quibus ipsi revelarunt *γ. c. Lugo l. c.* Unde re-  
solves.

I. Confessarii est, uti & Concionatorum, bene  
instruere suos, & monere de restitutione, ac fuga  
vitii tam communis.

II. Is qui bona fide, vel probabili errore du-  
ctus, sine formali mendacio falsum de alio dixit,  
tenetur (intellecta postea materiali injustitia) ad  
restitutionem; licet non tam strictè, quàm qui in-  
famavit per injuriam formalem: hic enim tene-  
tur restituere, cum detrimento famæ suæ, etiam  
etiam æquali, alter non item, sed tantum, quate-  
nus sine suo notabili incommodo potest, *Mol.  
Less. C. Lugo d. 15. num. 4.* Similiter qui crimen  
narravit de uno, quod auditores ex errore intelle-  
xerunt de alio, licet non ex justitia (siquidem non  
eius actio, sed error audientium causa fuit damni  
injusti) tamen ex charitate tenetur ad restitutio-  
nem cum possit grave damnum proximi sine suo  
detrimento præcavere, *Bon. d. 44.*

III. Qui detraxit alteri libello famoso, ut ef-  
ficax sit restitutio, eam facere contrariis scriptis,  
vel publica revocatione, *Sayr. Bon. d. 2. de rest.  
q. 4. p. 9.*

IV. Si ex læsione famæ ortum etiam est alteri  
damnum fortunarum, ut si privatus est officio,  
excidit spe divitis matrimonii, amisit dotem, &c.  
tunc & fama debet restitui, & damnum illud  
com-

compensari; ad arbitrium prudentum. Et quidem obligatio restitutionis fame, cum sit pure personalis, non transit ad hæredes: obligatio autem compensationis dicti damni, cum habeat respectum ad bona infamatoris, transit ad hæredes.

Laym. l. c. c. 7. n. 4.

Quæres I. Quæ excusent à restitutione fame?

Resp. Patere ex dictis de rest. l. 3. t. 9. c. 2. Unde resolves.

I. Excusatus es à fame restitutione, si planè sis impotens.

II. Si crimen occultum, quod dixisti, vel simile, alia ratione fiat publicum, C. Lugo d. 15. f. 3. num. 27.

III. Si fama aliis modis jam recuperata sit, ut infamati purgatione, vitæ probitate, testimonio prudentum, Less. l. 2. c. 11. 24. Et si tunc pro damno, quod secutum est, debeat satisfieri. C. Lugo d. 15. f. 3.

IV. Si prudenter judicetur, jam dudum rem oblivione deletam. Quo casu maximè prudentia opus est, nam aliquando periculosius est retractare, renovando memoriam, v. C. Lugo d. 15. f. 3. n. 35.

V. Si is cui detraxisti, tibi similiter detraxerit, nec velit restituere: quia tunc potes jure compensationis, seu retentionis uti, dummodo infamia illata non redundet in alios. Ita probabiliter, Tol. Less. Sylv. Mald. Dian. com. 2. tr. 3. R. 30. Mol. contra Caiet. Tan. C. Lugo & Nav.

VI. Si non possis absque periculo vitæ, vel si fama restituenda sit minoris valoris, quàm fama  
Q s      detra-

detraCTORIS. Sic v. g. PrælatuS non tenetur restituere ulli homini, si aliter non potest, quam cum amissione famæ suæ multò majoris momenti; sed sufficit tunc, si infamatū laudet, aut pecunia cōpenset. *v. C. Lugol. c.*

VII. Si infamatus spontè remiserit, (modo tamen ejus infamia non redundarit in alios, ut familiam, statum) sive expressa, sive tacita sit condonatio: tamen si nihilominus ex charitate damnum resarcire aliquando teneatur, si possis absq; gravi incommodo. *C. Lugol. d. 15. §. 3. n. 38.* Imo aliqua do etiam sufficit condonatio præsumpta, & interpretativa voluntas eius, qui potest condonare, si nimirum ille sit ita affectus, ut si rogaretur, facile condonaret: tunc enim non est invitus, saltem quoad substantiam, etsi fama non restituatur. *v. C. Lugol. c.*

*Quæres II.* An restitutio famæ licitè condonetur?

*Resp.* Licitè fit in iis casibus, in quibus seipsum licet infamare: in quibus autem, & quàm graviter peccat se infamando, in iisdem & tam graviter peccat condonando. *Nav. Trul. l. 7. c. 10. d. 28.* Unde resolves.

I. Condonans famæ restitutionem peccat mortaliter. I. Si infamia redundet in alios. 2. Si inde sequatur scandalum. 3. Si sit vir valde utilis Reip. & ex infamia fructus impediatur. 4. Si fama sit necessaria ad muneris gubernationem. *Sot. Less. Trul. l. c.* qui tamen notant, condonationem semper esse validam, quando fama non redundat in alios; secus quando redundat. Unde parentes non possunt condonare, quando redudat in filios, neq; filii, quando in parentes, *v. Aut. c.*

II. Ex eo verò præcisè, quod infamatus (vel contumelia affectus) conversans cum infamatore, videatur remittere iniuriam, non censetur condonare restitutionem famæ, vel honoris; sicut nec alia debita per familiaritatem. *Navar. c. 18. Trul. 29.*

#### CAPVT II.

*Quid de Præcepto nono, & decimo?*

*Resp.* Prohibent omnes internas concupiscentias, & delectationes voluntarias illorum operum, quæ præceptis secundæ tabulæ, præsertim sexto & septimo vetantur. *Quæ de re vide supra, & patebit ex dicendis de peccatis, infra lib. 5.*

CAPVT